



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Conciliabvlvm Donatistarvm In Africa Habitvm Svb Innocentio I. Anno
CCCCXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

INNOCENTIUS CIRTENSE. HONORIVS IMP. 351
P. I.

ANNO CHRISTI 412.
pronuntiaret ; ipsis quid dedimus , vt contra se pro nobis tanta non solum dicerent, verum etiam recitarent ? An forte volunt , vt eis apud vos gratias agamus , quia cum dicant iudicem præmio a nobis esse corruptum, ipsi tam multa , quæ pro nobis contra seipso dixerunt & recitauerunt , gratis nobis omnia præstiterunt ? Aut certe si propterea dicunt , quod nos vicerint , quia melius ergerunt causam Cæciliiani quam nos , hoc plane credatis illis . Nos enim duas lectiones pro illo sufficere putaveramus : illi autem quatuor protulerunt . Sed quid vos pluribus literis oneremus . Si vultis nobis credere , credite , & teneamus pariter unitatem quam iubet & diligit Deus . Si autem nobis non vultis credere , gesta ipsa legite , aut vobis vt legantur admittite , & an vera sint quæ scripsimus , vobis ipsi probate . Si autem nihil horum facere vultis , & manifestissima veritate conuictam partis Donati falsitatem adhuc sequi desideratis , mundi erimus a pœna vestra , quando vos sero postea pœnitentebit . Si vero id , quod vobis præstitit Deus , non contempseritis , & post causam tam diligenter aetam , & tam diligenter manifestatam , peruersam consuetudinem relinquentes , paci Christi & unitati consenseritis , de vestra correctione gaudebimus : & sacramenta Christi , quæ in sacrilegio schismatis ad iudicium habetis , vtilia & salubria vobis erunt , cum in catholica pace habueritis caput Christum , *vbi caritas cooperit multitudinem peccatorum.* 1. Petri 4.
Hæc ad vos scripsimus XVII. Kalendas Iulias , piissimo Honorio Augusto VIII. consule vt , quando possunt , ad quosque vestrum istæ literæ peruenirent .

* CONCILIABVLVM DONATISTARVM
IN AFRICA HABITVM
SVB INNOCENTIO I.

Anno CCCXIV.

N O T A.

ANNO CHRISTI 414. * *Conciliabulum.* Cum Honorius imperator in Africa anno Christi 414. lege quadam promulgata , Donatistas intestabiles , infames ,

Causa Con-
ciliabuli.

352 INNOCENTIVS CONC. DONAT. HONORIVS THEODOSIVS IMP.

hereditatis adeundæ incapaces, exilio ac relegatione dignos fore declarasset, legisque executionem Dulcitio demandasset, triginta Donatistarum episcopi statim in Concilium conuenerunt: atque in eo decreuerunt, ecclesiæ nequaquam deserendas esse: deportatos in exilium non obtemperare, sed voluntaria suipius nece, vnumquemque vim præfectorum anteuertere debere; ideo quodita futurum arbitrarentur, ut vel a suis tamquam martyres colerentur, vel saltem commiseratione iudicium talia exhorrentium, in suis ipsorum ecclesiis tolerarentur. Plures id fecerunt: adeo ut plurimum nece voluntaria perterritus Dulcitus, quid sibi agendum foret, Augustinum consuluerit. Ex epistola ad Dulcitium scripta appetet, cum respondisse, præstare, ut per mortem etiam voluntariam paucorum, plures seruarentur. Hæc ex Augustino lib. 1. contra Gaudentium cap. 19. 37. 38. &c. lib. 2. cap. 59. retractat. Bar. anno prædicto, num. 5, & sequentibus.

SYNODVS IN MACEDONIA
PROVINCIALIS SVB INNOCENTIO I.

Anno CCCCXIV.

NOTA.

Tempus &
acta Con-
ciliu.
^a *Synodus.*] Ex hac, pro confirmatione rerum gestarum, missa est legatio ad Innocentium papam per Vitalem archidiaconum. Idque actum est anno Christi 414. Nam epistola Innocentii, quam ad episcopos Macedoniae reddidit, Constantio consule scripta fuit.

CONCILIVM DIOSPOLITANVM
XIV. EPISCOPORVM,

In quo e Pelagius, post d hæreses suo indicio damnatus, fideique catholice professionem emissam, absolutus fuit, sub Innocentio papa I. anno Christi CCCCXV.

Extat in
collectione
Crefconia-
na: & apud
August. de
peccato
originali
lib. 2. cap.
11. & epist.
106. ad Pe-
lagium.

<sup>ANNO
CHRISTI
414.</sup>
INCIPIVNT capitula excerpta ex gestis habitis contra Pelagium hæreticum, & alia de libellis eius, quæ in Palestina Synodo sibi obiecta damnare compulsus est.

Quod ad Ierusalem volentem colligere filios suos Dominus clamat, hoc nos clamamus aduersus eos, qui filios volentes ecclesiæ colligi, nolunt; nec saltem post iudicium, quod de ipso Pelagio factum est, collegerunt: de quo